

Quibus præmissis PURGANTIA agmen ducant  
ex Myrobalanis Indis, sennâ, Epithymo, Helleboto nigro,  
quorum specifica vis respectu humorum attendi potest,  
aut etiam promiscua usurpari; Hic ingens se aperit campus  
syruporum, electuar. pulverum, confecti: apozematum.  
Brevitatis studio atq; etiam utilitatis præstantiâ, tum nau-  
seæ minoris nota nomino purissima *Melanagogum*, & *Cathe-  
licum* extracta *Amplissimi*, & *Excellentissimi Viri Dn. D. Johan-  
nis Michaëlis Prof. Publ. Lipsi. Patroni mei honoratissimi*, quem  
penes *Vicum* haut verear dixisse *Chymiam*.

--- --- sibi sedem magis omnibus unam  
Posthabitū legisse locis; hic illius arma,  
Hic veri cultus, vigilesq; altaribus ignes  
Centenis fumant.

Cumq; serū in melancholicis abundet, EJUSDEM potio ex  
Gialapâ cum syr. acetos. citri utiliter dabitur: Vix quid  
elegantius serum subtrahet, aut sumetur lubentius. Cæte-  
rum ob gravem mali pervicaciam, & diuturnitatem eva-  
cuatio cum digerentibus alternatim repetatur.

VOMITORIA, quibus materiam in Ventriculo,  
circaq; eum congestam, & febrem aucturam educere ani-  
mus est, die intermissionis ante vel post cibum, videndo  
quam æger proclivis sit ad vomitum, ne subsistant circa  
præcordia, & malo accedant, quocunq; morbi tempore in-  
stituantur; Quæ autem proximam materiam excutiant, in  
paroxysmo, aut paulo ante exhibeantur. *Mitiora* sunt: Ex  
aceto & acetosâ destillatum, aqua rosarum pallidarum in-  
biliosâ Quartana sæpe experta, succus raphani cum oxy-  
melite, conserva summitatum sambuci. *Potentiora*: *Plateri*  
è nucibus viridibus, pulvis rad. aut fol. asari, diasarum *Fer-  
nelii*, oleum è semine ebuli, hepar Antimonii, Mercurius  
vitæ, sal vitrioli, Infusio vitri Antimonii, quod effectus non  
ignobilis gloriâ insignivit observatione singulari *Amplissi-  
mus & Excellentissimus Dn. D. Wernerus Rolfsink*, Medicus con-  
summatusissimus, venerandus Præceptor & Patronus meus sua de  
*febr. Intermitt. disputatione. Helleborem album, & Veratrum,*

B 3

quoad